Quelle: http://manuscripta.at/?ID=445
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

dio eius carnes coxit. et comedit coxit
pulmentum. et saturatus est: et calefactus
est et dixit: Vah calefactus sum: vidi
focum. Reliquum autem eius deum fecit:
et sculptile fecit sibi. Curvatur ante
illud et adorat: et obsecrat dicens. Libera
me quia deus meus es tu. Nescierunt
neque intellexerunt. Obliti enim sunt
ne videant oculi eorum: et ne intelli
gant corde suo. Non recogitant in
mente sua: neque cognoscunt neque
sentiunt ut dicant. Medietatem
eius combussi igne. et coxi super carbo
nes eius panes. et coxi carnes et
comedi: et de reliquo eius ydolum
faciam: Ante truncum ligni proci
dam. Pars eius cinis est. Cor insi
piens adoravit illud: et non liberavit
animam suam neque dicet. Forte
mendacium est in dextera mea. Memen
to horum Iacob: et Israel quia servus
meus es tu. Formavi te. servus
meus es tu: et non oblivisceris
mei. Delevi ut nubem iniquita
tem tuam: et quasi nebulam peccata tua.
Revertere ad me. quia redemi te.
Laudate celi: quia misericordiam fecit dominus.
Jubilate extrema terre. resonate
montes laudationem: Saltus et
omne lignum eius: quia redemit
dominus Iacob. et Israel gloriabitur.
Hec dicit dominus redemptor tuus.
et formator tuus ex utero. Ego sum
dominus faciens omnia: exten
dens celos solus. stabiliens terram.
et nullus mecum. Irrita faciens signa
divinorum: et ariolos in furorem ver
tens. Convertens sapientes retror
sum: et scientiam eorum stultam faciens.
Suscitans verbum servi sui: et con
silium nuntiorum suorum complens. Qui
dico Ierusalem habitaberis. et civitatibus
Iuda edificabimini: et deserta eius
suscitabo. Qui dico profundo desola
re: et flumina tua arefaciam. Qui di
co Cyro pastor meus es: et omnem
voluntatem meam complebis. Qui
dico Ierusalem edificaberis: et templo
fundaberis. Capitulum. xl.v.

Hec dicit dominus christo
meo Cyro cuius apprehendi
dexteram. ut subiciam
ante faciem eius gentes: et dorsa
regum vertam. et aperiam coram eo
ianuas: et porte non claudentur.
Ego ante te ibo: et gloriosos terre humili
abo. Portas ereas conteram: et vectes
ferreos confringam. et dabo tibi the
sauros absconditos. et archana se
cretorum: ut scias quia ego dominus.
qui voco nomen tuum deus Israel.
Propter servum meum Iacob. et Israel
electum meum. Et vocavi te nomine
tuo: assimilavi te. et non cognovisti
me. Ego dominus. et non est amplius.
Extra me non est deus. Accinxi
te. et non cognovisti me: ut sciant
hii qui ab ortu solis. et qui ab occi
dente. quia absque me non est deus.
Ego dominus et non est alter: for
mans lucem. et creans tenebras:
faciens pacem et creans malum.
Ego dominus faciens omnia hec.
Rorate celi desuper. et nubes pluant
iustum: aperiatur terra et germinet sal
vatorem: et iusticia oriatur simul.
Ego dominus creavi eum. Ve qui
contradicit fictori suo: testa de samiis
terre. Numquid dicet lutum figulo quid
facis: et opus tuum absque manibus
est: Ve qui dicit patri quid generas.
et mulieri quid parturis: Hec dicit
dominus sanctus Israel plastes eius. Ven
tura interrogate me super filios me
os: et super opera manuum mearum
mandate michi. Ego feci terram